

## Philonea.

Philonis Iudaei nomine inscriptus est libellus singularis non laboriosa doctrina refertus sed utilis neque iniucundus lectu, quo mundum aeternum esse scriptor demonstratum iit refellens Stoicos, congerens ἂ περι ἀφθαρσίας τοῦ κόσμου παρειλήφαμεν a Theophrasto Critolao aliis exposita. Panaetio posteriorem philosophum nulum nominat, in manus venisse sibi testatur Ocelli Lucani de rerum natura commentarium suntque non modo argumenta sed etiam locutiones quaedam huic et illi communes, Iudaicae superstitionis indicium nullum inveni, sed multo tamen ante Hesiodum ὁ τῶν Ἰουδαίων νομοθέτης sacros libros composuisse laudatur. adversariorum rationes in fine huius libelli promittit se singillatim excussurum deinceps, verum neque hoc exstat opusculum neque Κοσμοτορῆνης Varronianae, quae satura de Stoicorum sententia scripta erat περι φθορᾶς κόσμου, eas reliquias habemus quibus ista placita cognoscantur plenius. separatim hunc libellum Iacobus Bernaysius, conlega perdoctus mihi bene volens, in actis academiae Berolinensis maioribus modo edidit ita ut non solum qui litteris antiquis operam navant commode legere et versare, sed etiam graece indocti homines delibare possent, subiecit enim graecis cum instrumentum criticum tum interpretationem germanicam. primus Bernaysius ordinem restituit paginarum quibus male conturbatis librarii continuam orationem interruperant, immo plane discerpserant volumen. idem per multa sustulit menda partim M codicem Mediceum secutus partim suam perspicacitatem et prudentiam. velut in capite 15 p. 248, 11 cum adhuc tria nomina ferrentur Βόηθος γοῦν καὶ Ποσειδώνιος καὶ Παναίτιος, expulit Posidonium Boethique nos patriam docuit codex ille in quo est Βόηθος γοῦν ὁ Σιδώνιος. praeclare Bernaysius cap. 4 p. 224, 6 καλλιεργον emendavit in καλεῖ ἔργον vel cap. 11 p. 240, 2

τὸν τῆς δράσεως ἑλκόν ubi Mangeius ῥήσεως opus esse intellexerat in ΦΡΑΣΕΩC. alia eius modi aut infra ego attingam aut qui evolvent libellum ipsi conspicient. haud multum nunc abesse opinor quin politissimum exemplar sordesque abstersae omnes dicantur. pauca et parva quae ego notaram amicoque tradideram examinanda, hic proponere visum est, quoniam neque illum omnia fastidiisse novi et horum studiorum consortibus non nihil spero placiturum.

cap. 1 p. 219, 1 ἐπὶ μὲν παντὸς ἀδήλου καὶ σπουδαίου πράγματος ἐγκαλεῖν ἄξιον, διότι ἀγαθός ἐσσι γεννητῆς καὶ οὐδὲν ἀδηλον παρ' αὐτῶ. sic M, desideratur dei nomen neque ἐγκαλεῖν solet idem quod ἐπικαλεῖν significare. dudum emendatum est θεὸν καλεῖν, permutavit enim librarius ΘΝ et ΕΝ.

ibidem p. 219, 6 τὰ δὲ τῶν ὑπηρετικῶν παρ' ἡγεμόνος τε καὶ ἐπιστάτου πόνος φιλοπευστεῖν, οἷς ἐμπέφυκε πόθος ἀληθείας πλέον. Bernaysius νόμος φιλοπευστεῖν scripsit et in exitu aequae ac prioris πλείον. sed hoc additamento πόθος ἀληθείας extenuatur magis quam confirmatur aut adprobatur. mihi πόνος dittographia ex πόθος ortum videtur et insititium, recte τὰ τῶν ὑπηρετικῶν παρ' ἐπιστάτου φιλοπευστεῖν τοῖς φιλαλήθεσι πλέον id est prodest illis, iuvat eos, ut τί τοῦτ' ἐμοὶ πλέον nihil sic proficio. et commode πλέον eis comparativis respondet qui in primo colo leguntur. οἷς ἐμπέφυκε πόθος ἀληθείας, πλέον haec verba iustum efficiunt senarium.

cap. 2 p. 220, 9 κόσμος tribus modis intellegi potest, aut caelum et terra atque universum aut tantum caelum aut cum Stoicis διηκουσα ἄχρι τῆς ἐκπυρώσεως οὐσία τις ἢ διακεκοσμημένη ἢ ἀδιακόσμητος, ἧς τῆς κινήσεως φασιν εἶναι τὸν χρόνον διάστημα. recepit editor ex M οὗ τῆς κινήσεως, nos ex eodem recipimus διήκων, haec enim invicem subsidio sunt eoque genere quem scriptor cum industria vitavit hiatus tollitur. sic p. 244, 3 προσγενέσθαι τροφήν ἐν ἔχουσι conlocavit ne γενέσθαι ἐνα conliderentur, sic μέχρι post vocales adhibuit (p. 242, 4 ἀνακᾶται μέχρι) post consonantes ἄχρι (p. 241, 8 γὰρ ἄχρι et 9 ταύτης ἄχρι).

ibidem p. 221, 4 οὐδέ γε οὕτως ἐστὶν εὐήθεις ὥστε ἀπορεῖν num mundus ad nihilum redigatur. probe correctum videtur οὐδεῖς et εὐήθης, perperam autem additum γοῦν. conclusiva enim opus est particula οὐδεῖς οὖν οὕτως, si tamen huius modi coniunctione opus est. ego sufficere puto οὐδὲ εἰς οὕτως.

cap. 3 p. 222, 8 Stoici vim ignis in mundo subesse aiunt temporum decursu omnia resolventem, ἐξ ἧς πάλιν αὖ ἀναγέννησιν κόσμον συνίστασθαι. ut supra v. 2 hiatus istum εἶναι αὐτόν M delevit inverso verborum ordine, ita idem hic pro αὖ exhibet νῦν.

quod aut delendum est utpote prognatum syllaba praecedente aut mutandum in τιν' ἀναγέννησιν.

cap. 5 p. 227, 6 extra mundum nulla vis ἀποδράσα κυκλοῦται. in M est ἀποδράσασα qua forma scriptores Augusti aetate inferiores non pauci utuntur, Iosephus Dio alii quos Lobeckius Phrynichi p. 737 memorat.

ibidem p. 227, 9 non peribit mundus ex interna ulla caussa, primum ἐπειδὴ τὸ ὅλον τοῦ μέρους καὶ μείζον ἔσται καὶ κραταιότερον, ὅπερ ἔστιν ἀτοπώτατον. propter ultima verba correxerunt τοῦ ὅλου τὸ μέρος, verum neque fictam rationem apte ἐπειδὴ inducit, neque ἔσται in illa sententia sed ἂν εἴη expectamus. qua re illa equidem non mutanda censeo sed post κραταιότερον supplendum quod illis contrarium sit [ἀλλ' οὐ τοῦ ὅλου τὸ μέρος] ὅπερ ἔστιν ἀτοπώτατον.

ibidem p. 228, 2 egregia Bernaysii emendatio est ἀδύνατον εὐρεῖν Ὁ ΤΗΝ ἔξωθεν αἰτίαν πεφυκὸς ὑπομένειν τῆς φθορᾶς plane immune sit intestina labe: νοητὴν M unde etiam lenius et rectius Ὁ ΤΙ ΤΗΝ effingere mihi videor.

cap. 6 p. 229, 8 poeta qui senarium fecit talem nam quidquid natum est aliquando id certumst mori' δοκεῖ μὴ ἀπὸ σκοποῦ συνθεῖς ἀκολουθίαν τῶν αἰτιῶν τῆς φθορᾶς ὧδε ἔχει. manca sententia in qua nihil immutari sed post φθορᾶς integrum versiculum adici volo huius modi [καὶ γενέσεως ὁμολογεῖν ὅτι] ὧδ' ἔχει.

ibidem p. 229, 9 solutio rei compositae nihil aliud est ἢ πρὸς τὰ κατὰ φύσιν ἐκάστων ἐπάνοδος, compositione res coguntur εἰς τὸ παρὰ φύσιν. M cum habeat πρὸς τήν, scribendum est πρὸς τὸ κατὰ φύσιν. nec recte ὥστε versu 10 interponitur, omisit eam particulam M loco vacuo relicto, substituendum ὥσπερ: ergo solutio non erat nisi reditus ad ordinem naturae, sicut compositio commixtas res ab eo ordine discedere coegit. καὶ δῆτα οὕτως εἰκεν ἀνευδέσιατα ἔχειν: immo καὶ δὴ τὰδ' οὕτως.

ibidem p. 230, 3 homo compositus est parvis quattuor elementorum particulis quae contra naturae ordinem conflatae sunt ita ut calor sursum spargi solitus deorsum ferretur per corpus, terrena autem et gravis materia incitaretur locumque superiorem occuparet, ὃν τὸ γεωδέστατον τῶν ἐν ἡμῖν ἐπέσχηκεν κεφαλῇ. haec cum sana elocutione parum congruunt, nam cum ἡ γεώδης οὐσία tota obtinuerit τὸν ἄνω τόπον, non eundem illum sed τὸν ἀνωτάτω τὸ γεωδέστατον cepit. itaque revocandum ex M ὦν idque referendum ad τὰ ἀνακραθέντα quaecumque sursum et deorsum feruntur, tum emendandum opinor ἐφέστηκεν: quibus impositum est et praepositum quod maxime terrenum habemus caput.

cap. 7 p. 231, 4 optimum locum et ordinem mundi partes omnes sortitae sunt ὡς ἕκαστον καθάπερ πατρίδι φιλοχωροῦν μὴ ζητεῖν ἀμείνω μεταβολήν. scribe μεταβολῆ: non quaerunt illae ἀμείνω θέσειν καὶ τάξιν. alioqui dixisset scriptor πρὸς τὸ ἀμείνον μεταβολήν.

ibidem p. 231, 11 φθορᾶς μὲν αἴτιον ἢ παρὰ φύσιν κατὰ τῶν ἄλλων ἔχει ζώων, ἐν δὲ τῷ κόσμῳ κατὰ φύσιν ἕκαστα τῶν μερῶν διατέτακται. intolerabile κατὰ τῶν ἄλλων, volgo pro κατὰ legebatur κίησις. atque aegerrime fero omissum nomen in conclusione syllogismi. restituendum censeo ἢ παρὰ φύσιν τάξιν τῶν ἄλλων, forsitan τὰ syllaba in compendiaria scriptura errorem eum procreaverit.

cap. 8 p. 235, 11 si deus novum mundum concinnabit, certe ὁ γενόμενος aut peior aut par aut melior existet: immo ὁ γινόμενος. eadem labe M adfectus est cap. 11 p. 241, 7.

cap. 9 p. 235, 10 deos mortales fingere aequè stultum est atque homines immortales. καίτοι ἐν ἀτίμων συγκρίσει τοῦτ' ἂν εὐροις σκοπῶν ἐλλογώτερον ἐκείνου, χάριτι μὲν Θεοῦ ὄν' θνητὸν γὰρ ἀθανασίας μεταλαχεῖν εἰκὸς ἔστιν, ἀφθαρσίαν δὲ Θεοῦ ἀποβαλεῖν ἀδύνατον κἄν αἱ ἀνθρώπων σοφίαι κακομανῶσι. M καὶ τοῖς, deinde εὖροι praebet, multoque quam persona altera aptius huic membro est καὶ τις τοῦτ' ἂν εὖροι. tum turbatus verborum ordo est neque interpungi post ἐκείνου debuit ita ut ab illis divelleretur ὄν. fortasse hoc olim praetermissum et margini impositum, post retractum in continuam orationem principium fuit turbarum. certum enim est propter ipsas argutias divinae gratiae nomen inferiori enuntiationi adtribuendum esse scribendumque ἐλλογώτερον ὄν ἐκείνου· χάριτι μὲν γὰρ Θεοῦ θνητὸν ἀθανασίας μεταλαχεῖν κτλ. ut opponantur inter se χάρις Θεοῦ et ἀνθρώπων μανίαι. quod sequitur καὶ μὴν οἶ τε, cum τε nil habeat quocum comparetur, mutandum est in οἶ γε.

ibidem p. 236, 12 in Chrysippi argumentatione πῶς γὰρ ὁ μὲν οὐδὲν ἀκρωτηριασθεὶς μέρος ὁ Θεῶν ἀνήρπασται, ὁ δ' ἀποκοπεὶς τὸν πόδα Δίον οὐχὶ διέρχεται; offendit me in priore membro iteratus articulus, qua repetitione Theonis nomini, quod ante philosophus satis explanarat, vis nimia adiungitur. in M est ὁ μὲν ἀκρωτηριασθεὶς, quam ob rem permutatis ΟΜΕΝ et ΟΥΔΕΝ restituo πῶς γὰρ οὐδὲν ἀκρωτηριασθεὶς μέρος ὁ Θεῶν ἀνήρπασται.

cap. 10 p. 239, 3 vituperatur Stoicus mundum vocans qui ardore deflagret tanquam κόσμον et ἀκοσμίαν confundat, εἰ γὰρ οὗτος ὄν δρωμέν ἐτιμῶς καὶ προσφρέεστατα κόσμος κέκληται διατεταγμένος καὶ διακεκοσμημένος ἄτ' ἐπ' ἀνθρώπου τέχνης ἀκρότητα, τὴν πρὸς τὸ πῶ αὐτοῦ μεταβολὴν δεόντως ἂν τις ἀκοσμίαν ὀνομάσαι. ita M,

ἄτ' ἀπ' ἀνθρώπου volgo. unde Bernaysius ἀπανθρώπου τέχνης fecit et ἄτε in superiorem locum transtulit ante διατεταγμένος. verum neque hac ibi vocula opus est neque ἀπάνθρωπον magis idoneum ad divinam artem designandam et humanis viribus maiorem quam si latine inhumanam dixeris. verum ego mihi repperisse videor, factum est enim ΑΤΕΠΑΝΘΡΩΠΟΥ ex ΑΝΕΠΑΝΟΡΩ-ΤΟΥ: divinam artem nulla datur facultas corrigendi, cum perfectissima sint dei opera, ἀμώμητα καὶ ἀνεξέλεγκτα καὶ ἀνεπανόρθωτα (cap. 8 p. 234, 1).

cap. 11 p. 239, 7 Critolaus mira brevitate appellatur τῶν κεχροενκότων Μούσαις. expectabam ut accederet κορυφαῖος vel οὐθενὸς δεύτερος aut aliquid huius modi. fortasse alii invenient quod intercidisse post Μούσαις credibile sit.

cap. 12 p. 243, 1 in laeta veris pictura τὰς ἀπὸ τῶν ἀνθέων ἀναφερομένης εὐωδουσίας αἴθρας καὶ τὰς τῶν ἀνθέων ἀμυθήτους ιδιότηας τέχνη δαιμονία πεποικιλμένης librariis potius quam scriptori non sine arte elegantiam adfectanti acceptam referemus putidam τῶν ἀνθέων repetitionem. antehac volgabatur τῶν χρωμάτων ἀμυθήτους, mihi in mentem venit τῶν καθ' ἓν id est singulorum florum. tum uno in conspectu scriptor videre nos volt αἰγείρους καὶ κέδρους, πεύκας, ἐλάτας, δρυῶν ὕψη περιμηκέστατα, τὰς ἄλλας τῶν ἀργίων συνεχεῖς καὶ βαθείας ἴλας. ne pereat figurae vis, tollemus καὶ utpote ortum e κέδρους.

ibidem p. 244, 12 ridentur qui homines aliquando ex terra extitisse armatos fabulati sunt, τίς γὰρ ἦν κατὰ γῆς χαλκουργὸς ἢ τοσοῦτος Ἡφαιστος ὡς αὐτίκα παντευχίας εὐτρεπίεσθαι; τίς δὲ τοῖς πρώτοις γενομένοις ἰσόπαις ἦν οἰκειότης; feliciter Bernaysius sententiam reparavit cum ἰσόπαις mutavit in ὀπλίσεως. praefendum tamen ὀπλων opinor non solum propter οἰκειότης, cui nomini actio quam substantia rei molestius adiungitur, sed etiam propter p. 245, 2 ἀνθ' ὀπλων. nimirum in archetypo ΟΠΛ fuerat cum nota syllabae finalis circumflexa, adhaesit IC e praegressis litteris, tum homo male callidus ΙСОΠΑ deformatum ex ἰσόπαις putavit. item ων syllabae nota neglecta est in M cap. 14 p. 246, 13 τὸν τελειότατον ὄρατ περίβολον, ubi recte Bernaysius ὄρατῶν scripsit, addendus autem praeterea articulus est ut fiat τὸν τελειότατον τῶν ὄρατῶν περίβολον.

cap. 15 p. 247, 4 Critolaus mundum negat morbo senectute penuria posse interire, πεπηγέναι τε γὰρ ἐξ ὕλων τῶν στοιχείων ὡς ἄτε μηδενὸς ὑπολειφθέντος καὶ ἀπελευθεριάζοντος μέρους βιασθῆναι, κατακρατεῖν τε τῶν δυνάμεων κτλ. haec est librorum scriptura, ὡς

Mangeius transposuit inter μέρους et βιασθήναι nec probabiliter, si originem mendi, neque commode, si sententiae tenorem spectamus. vide ne scribendum sit ὡς ἐπὶ μηδενός — μέρους βιασθήναι, compactus mundus est elementis universis ita ut a nulla particula residua et vaga ei vis adferatur. statim post v. 7 legimus αὐταρκέστατον τ' αὐτὸν αὐτῷ καὶ ἀνεπιδεῖ παντὸς γεγονέναι, consuetudo sermonis πάντως postulat. idem vitium agnosco p. 248, 13 ubi Boethus et Panaetius πρὸς θειότερον δόγμα τὸ τῆς ἀφθαρσίας τοῦ κόσμου παντὸς αὐτομιολῆσαι dicuntur. nam mundus ut totus a parte discerneretur, scribi oportuit alio ordine τοῦ παντὸς κόσμου, scripsit autem homo translationem audaciorē muniens adverbio πάντως ηὑπομόλησαν: plane defecerunt ab Stoicis.

ibidem p. 247, 11 si nulla natura aeterna appareret, facilius excusarentur qui perire mundum statuunt, sed fatum quoniam initio et fine carere dicitur, quidni etiam mundi natura perpetua sit? superius enuntiatum sic editur εἰ μὲν μηδεμία φύσις αἰδιος ἑωρατο, ἦτιον ἂν ἐδόκουν οἱ φθορὰν εἰσηγούμενοι τοῦ κόσμου, μηδὲν γὰρ ἔχοντες παράδειγμ' αἰδιότητος, ἄνευ προφάσεως ἀδικεῖν, ubi ἄνευ προφάσεως inscite dictum et γὰρ male interiectum et oratio intricata ac longinqua est. at M post αἰδιότητος haec exhibet ἐδόκουν οἱ φθορὰν εἰσηγούμενοι τοῦ κόσμου ἂν εὐπροφάσιστα ἀδικεῖν, turbata quidem et perperam iterata sed bona malis mixta. quae sic fere in ordinem redigenda censeo ἦτιον ἂν ἠδίκουν οἱ φθορὰν εἰσηγούμενοι τοῦ κόσμου, μηδὲν γὰρ ἔχοντες παράδειγμ' αἰδιότητος ἐδόκουν ἂν εὐπροφάσιστα λέγειν.

cap. 17 p. 251, 12 transitus fit ad novam tractandam questionem his verbis ἐκεῖνο δ' οὐκ ἄξιον διαπορῆσαι τίνα τρόπον ἔσται παλιγγενεσία. quae quod pugnant cura scriptoris consilio, Bernaysius οὐκ ἀνάξιον edidit. leniore manu οὖν pro οὐκ reposueris: iam illud perquiri par est.

ibidem p. 252, 4 geminum piaculum est si quis non modo interire mundum ait sed etiam negat renasci ὡσπερ ἐν ἀκοσμία καὶ ἀπραξία καὶ τοῖς πλημμελέσι πᾶσι χαιροντος θεοῦ. potest quidem aliquis dici λυπούμενος ἢ χαιρων ἐν υἰσι tamquam stet in rebus amaris et dulcibus medius, verum haec interpretatio illis nominibus parum accommodata est (cf. p. 251, 7 ἐπ' ἀπραξίας deus vitam non vitam aget), et cum supervacanea sit praepositio, quod comparatur membrum optamus ut a vero abhorreere indicetur. quocirca ὡσπερ ἂν scribi malo.

ibidem p. 252, 12 εἰ — φῶμεν, ἀνθραξ μὲν οὐκ ἂν γένοιτο. similis soloecismus cum in hoc libello nullus inveniatur, non dubito

φράζομεν corrigere. cap. 20 p. 259, 9 πῶς οὖν ἂν τις ἐπιχῆται depravatam est ex ἐλέγχου aut alio verbo optativo.

cap. 18 p. 254, 5. priore capite scriptor exposuerat nullo incendii genere mundum posse interire, non carbonis more, non flammae, non fulgoris, atque in carbones eum ideo non posse transformari, cum hi magnam partem terreni sint, διότι παμπληθὲς ὑπολείπεται τοῦ γεώδους (p. 252, 12); Stoicis autem terrena ceteraque omnia tum in merum ignem solvi placere. iam repetit τὸν κόσμον ἐκπυρῳθέντα γενέσθαι μὲν ἀνθρακι παραπλήσιον ἀμύχανον, ὡς δέδεικται, γεώδους πολλῆς ἀνθυπολειφθείσης οὐσίας ἧ̄ δεήσει τὸ πῦρ ἔλλοχᾶν, ἴσως δ' οὐκ ἐκπυρῳσεως τότε κρατούσης εἶγε μένει — γῆ μὴ διαλυθεῖσα. ubi ἀνθυπολειφθείσης si non falsum, at tamen vanum est neque ceteris eiusdem locutionis exemplis conveniens. scribendum ἂν ὑπολειφθείσης, haec enim particula desideratur omnino: mundus non potest fieri carboni similis, quia sic terrena materia multa restabit. tum in altero membro mirum ni scriptum fuit οὐδ' ἐκπυρῳσεως: ne comburitur quidem conflagratve mundus, si tamen terra etiam manet non soluta incendio. ceterum quoniam in codicibus fere miscentur ἀνάλυσις et ἀνάλωσις, ἀναλυθείσης et ἐναλυθείσης (vide p. 251, 13. 255, 11), nostro arbitrato utrum verbum cuique loco aptius est id eligemus. atque in illa sententia terram non τὸ στοιχείων βαρύτερον καὶ δυσαναλωτότατον sed δυσαναλυτώτατον vocari decuit. contra p. 257, 3 σπέρμα μόνον ὑπολειφθήσεται τροφῆς μὴ ἐπαρούσης, ἀπάντων ὅσα τρέφειν ἔμελλεν εἰς πῦρ ἀναλυθέντων hic multo melius ἀναλυθέντων arbitror: *nutrimenta omnia consumpta sunt*, cf. p. 254, 13 δαπανήσας ὅσον τῆς τροφῆς λείψανον vel p. 255, 5 πάντων δαπανηθέντων.

cap. 19 p. 256, 13 nihil ex solo semine sine idoneis alimentis perficitur, noli opinari spicam frumenti ex uno quod agricolae arvis iniecerint grano crescere, τὸ δὲ πλεῖστον εἰς ἀΐξην αὐτῶ συνεργεῖν ὑγρὰν τε καὶ ξηρὰν διττὴν ἐκ γῆς τροφῆν. structura minime perspicua est sed quam vix capias, nam cum praecesserit μὴ νομίσης, contrarium sensum ulteriora fatentur quasi intervenerit νομιστέον δέ. deinde nutrimentum utrum unum sit an duplex nihil refert, immo enim opus esse nutrimento hoc tantum demonstratur. ergo scribendum συνεργεῖν ὑγρὰν τε καὶ ξηρὰν δεῖ τὴν ἐκ γῆς τροφῆν. in principio huius coli ut τὸ δὴ πλεῖστον magis placeat, tamen δέ expelli necesse non est.

ibidem p. 258, 6 Stoici inane infinitum extra mundum fecerunt ἐν' ἐπειδὴ χάσιν ἀπεραντόν τινα ἔμελλε λήψοσθαι, μὴ ἀπορῆ τοῦ δεχομένου χωρίου τὴν ἀνάχρουν. recte hoc ut mundus ne careret

*spatio in quod extendere se posset, nec minus recte et paullo facietius ἵνα μὴ ἀποροῦσιν ut Stoicis ne deesset locus per quem mundus expanderetur.* idque M suppeditare videtur in quo ἀποροῦν legitur.

cap. 21 p. 261, 2 καθάπερ γὰρ αἱ ἐτήσιοι ὥραι κύκλον ἀμείβουσιν ἀλλήλαις ἀναπαραδέχασθαι πρὸς τὰς ἐνιαυτῶν οὐδέποτε ληγόντων περιόδους εἰς τὸν αὐτὸν τρόπον τίθησι καὶ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου ταῖς εἰς ἀλλήλα μεταβολαῖς τὸ παραδοξότατον θνήσκουσιν δοκοῦντα ἀθανάτιζται δολιχεύοντα αἰεὶ καὶ τὴν αὐτὴν ὁδὸν ἄνω καὶ κάτω συνεχῶς ἀμείβοντα. editor ἀλλήλας ἀναπαραδεχόμενοι scripsit Mangeium secutus et postea τρόπον φησί, quae satis audacter et parum utiliter mutata sunt, certe quidem φησί haudquaquam requiritur, requiritur eo loco quae infinitivum superiorem regat vocula. nam quod εἰς τὸν αὐτὸν τρόπον Bernaysius cum inferioribus coniungi voluit, ei structurae etiam εἰς praepositionem obesse puto quia τὸν αὐτὸν τρόπον hic scriptor dicit alias. immo mihi certum est apodosin a καὶ τὰ στοιχεῖα incipere, respondere inter se καθάπερ et καὶ sic ut p. 255, 4. itaque nulla paene littera mutata αἰθεῖσαι posui interpretatusque sum quae circulum sibi mutua successione in labentes annos aequaliter conficiendum tradunt. ἀλλήλαις dativum tueor, nam accusativum scriptor si adhibiturus fuit, non ἀναπαραδέχασθαι dixisset sed simpliciter ἀλλήλας παραδέχασθαι, quoniam haec duo unum et idem valent. verum εἰς τὸν αὐτὸν τρόπον ne sic quidem placet, κύκλος enim suadere videtur ut substituamus τόπον: annua tempora, si seriem annorum comparas, eodem loco excipere invicem et intrare orbem solent. πρὸς praepositio non tam effectum finemque denotat quam comparationi inservit prospiciens in τὸν αὐτόν.

gravius adfecta opinor quae ibidem p. 261, 10 traduntur: hac via elementa aliud in aliud mutantur, si acclivi procedimus, ut terra liquescens in aquam abeat, aqua vaporans in aerem, aer rarefactus in ignem, si devexa, συνίζοντος μὲν πυρὸς κατὰ τὴν σβέσιν εἰς ἀέρα, συνίζοντος δ' ὁπότε θλιβουτο εἰς ὕδωρ ἀέρος, ὕδατος δὲ τὴν πολλὴν ἀνάχυσιν κατὰ τὴν εἰς γῆν πυκνουμένην μεταβολήν. iam dudum emendatum est πυκνουμένου, Bernaysius τῇ πολλῇ ἀναχύσει correxit. sed neque haec mutatio probabilitatis specie commendatur et quod intactum reliquit μεταβολήν tam inconcinnum mihi et molestum videtur ut non dubitem quin prave huc inrepserit repetitum fortasse ex v. 7. certe nihil quisquam desiderabit aut reprehendet si tantum haec invenerit ὕδατος δὲ κατὰ τὴν πολλὴν ἀνάχυσιν εἰς γῆν πυκνουμένου.

ibidem p. 262, 4 τὸ μὲν ἄνισον ἄδικον, τὸ δ' ἄδικον κακίας ἔργον, κακία δ' ἔξ ὄκου τῆς ἀθανασίας περφυγάδεται, θεῖον δὲ α

μέγεθος ὁ κόσμος καὶ οἶκος θεῶν αἰσθητῶν ἀποδέδεικται. optimo iure editor damnavit μέγεθος quod in hac sententia nulli usui est, sed τέμενος vereor ut recte reposuerit. ita enim conexam et conclusam orationem verbumque verbo aptatum vides ut inter οἶκον ἀθανασίας et οἶκον θεῶν non oporteat intermitteri amplioris significationis vocabulum longiusque evagatae. confusis librarium terminationibus usitatum verbum expressisse pro infrequenti puto quod cum sublimi dictioni qua scriptor hoc loco usus est tum deorum sedibus quas intellegi voluit in primis conveniat, μέγαρον.

cap. 22 p. 263, 6 partes mundi non possunt transponi, immo pari statu manebunt nec mutabunt locum, οὐ γὰρ ἐποχῆσεται ποτε εἰ ὕδατι πᾶσα γῆ οὔθ' ὕδωρ ἀέρι οὔτε ἀήρ πυρί, sed terra fundamenti instar erit, aqua innatabit, aer et ignis superfundentur. εἰ quid sibi velit non adsequor, nam etsi aqua obruisse aliquando terram credita est, terram universam umquam innasse undis pernegabant. scribendum propono οὔτε ὕδατι.

cap. 23 p. 264, 12 terra nisi nata esset ab aliqua origine, planissima iam foret neque alti quidquam super emineret, nempe imbres quotannis ingruentes omni aevo diluissent soloque aequassent montes et clivos, nunc quae extant inaequalia et excelsa terram non esse aeternam indicant. πάλαι γάρ, ὡς ἔφη, ἐν ἀπειρῶ χρόνῳ ταῖς ἐπομβρίαις ἀπὸ περάτων ἐπὶ πέρατα πᾶσα λεωφόρος ἐγένετο. necesse est addi πᾶσ' ἂν λεωφόρος ἐγένετο, dudum terra tota trita via esset. tum aquarum natura dicitur τὰ μὲν ἐξωθεῖν τῇ βίᾳ τὰ δὲ τῇ συνεχεῖ τῶν ψεκᾶδων κολάπτουσα κοιλαίνειν: plerique τῷ συνεχεῖ correxerunt, mihi ut alias totiens ita hic quoque notam scripturae neglexisse librarius videtur praeferoque τῇ συνεχείᾳ Choerilei memor versus κοιλαίνει πέτρην ἕαντις ὕδατος ἐνδεδεχέη.

ibidem p. 265, 10 mare decrevisse testantur insulae quae e recessu maris apparuerunt velut Delos ab ea ipsa re nominata. πρὸς δὲ τούτοις μεγάλην πελαγῶν μεγάλους κόλπους καὶ βαθεῖς ἀναξηρανθέντας ἠπειροῦσθαι καὶ γεγενῆσθαι τῆς παρακειμένης χώρας μοῦραν οὐ λυπαρὰν κτλ. sic M, editur μεγάλων πελαγῶν, sed cum non opus sit epitheto, eget oratio eo verbo quod modum infinitum regat. neque enim praecesserunt nisi finita, atque adeo initio huius argumentationis adversariorum sententia recta oratione expressa est ἡ θάλαττα, φασίν, ἤδη μεμείωται. tanto minus obliquo sermone proferri debuit ista res certa et indubitata (cf. caput 26 p. 271, 12). videndum igitur ne λόγος (cf. p. 272, 10) aut ἐμολογοῦσιν aut simile verbum in μεγάλην librarius depravarit. etiam ordo argumentationis perturbatus est. deminutionem enim maris probari scriptor

refert primum insulis quae sensim emergerint, deinde litoribus quae continentia terrae siccatis undis arentur et conserantur. iam pergit p. 265, 14 διὸ καὶ Πίνδαρος ἐπὶ τῆς Δήλου φησί, adponit carmen, Pindari verbis emersam ex ponto Delon significari adicit. utut festinavit scriptor aliorum scriinia compilans longas Theophrasti moras amputare, nusquam alibi tantam equidem ignaviam tamve turpiter neglectum ordinem animadverti. quam ob rem Pindari testimonium in margine fuisse adnotatum existimo, inde perperam contextum argumentis quae sic disponi oportuit: p. 265, 9 ἀφανῆς οὕσα τὸ πάλαι. 14 διὸ καὶ Πίνδαρος . . . ἀνιπτόμενος. 10 πρὸς δὲ τούτοις . . . ἀποβράττεσθαι. p. 266, 4 εἰ δὲ μειοῦται ἢ θάλαττα.

cap. 24 p. 267, 1 elementa mundi omnia intereunt. terrae quae pars non tempore dissolvitur? λίθων οἱ κραταιότατοι ἄρ' οὐ μωδῶσι καὶ σήπονται; κατὰ τὴν ἔξωθεν ἀσθένειαν . . . θρυπτόμενοι καὶ βέοντες εἰς λεπτήν τὸ πρῶτον ἀναλύονται κόνιν, εἰθ' ὕστερον δαπανηθέντες ἔξαναλύονται. ἔτι δ' εἰ μὴ πρὸς ἀνέμων ριπίζοιτο τὸ ὕδωρ, ἀκίνητον ἔαθ' ἔν οὐχ ὑφ' ἡσυχίας νεκροῦται; invita Minerva δαπανηθέντες ἔξαναλύονται editor fecit, nihil enim hic valet δαπανηθέντες et ne δαπανώμενοι quidem ἔξαναλύονται tolerabile iudicarem. optime M εἰθ' et tria illa verba omittit, expellamus miseram interpolationem, cuius qui auctor fuit non intellexerat τὸ πρῶτον spectare ad antegressa putredinis ac tabis verba. haec autem nulla interpunctione dirimemus a subsequentibus sed iungemus σήπονται θρυπτόμενοι καὶ ἀναλύονται. porro τί δ' M praebet, non ἔτι, idque commo- dissime si quidem continuatur interrogationis figura.

cap. 25 p. 270, 11 montium origo describitur: ignis terra inclusus dum in altum tendit, sursus secum terram abripit plurimam ὅσην ἂν οἶόν τε ἦ, nam εἰ post ἂν in M obortum esse ex οἶον opinor. ἔξω δ' ἐπιγενόμενον φέρεσθαι βραχυτέραν ἢ καὶ μέχρι πολλοῦ συμπαρελθεῖν βιασθεῖσα, πρὸς μῆμιστον ἀρθεῖσα ὕψος στελλεται κορυφουμένη. quae Bernaysius mutavit in ἢ δ' ἔξωθεν ἐπιγενομένη φέρεται βραδυτέρον terrenamque materiam intellegi voluit igni admixtam extrinsecus. verum aut omnino ego fallor aut ἔξω ἐπιγενέσθαι dicitur ignis ante κατακεκλεισμένος ἐν τῇ γῆ, itaque nihil mutandum nisi ἐπιγενομένου. ubi foras ignis advenit, terra ferri via brevior aut etiam longius sequi ignem coacta in fastigium montis cacuminatur.

cap. 26 p. 271, 14 ne insulas ex profundo sublatas tantum neve oras quondam fluctibus obrutas nunc terrae coniunctas respicite, ἀλλὰ πολυπραγμονεῖν ἔστι καὶ τοῦναντίον, quot terrarum regiones demersae sint, quantum soli navibus peragatur, an Siculi freti

historiam ignoratis? *πολυπραγμονεῖται* olim edebatur unde *πολυπραγμονεῖτε* Mangeius coniecit, recte opinor, hoc enim non modo cum *σκοπεῖτε* et *ἀγνοεῖτε* maxime congruit sed cum ipsa quoque *πολυπραγμοσύνη*, quippe quo verbo otiosa adversariorum disputatio leniter rideatur. scribo igitur *πολυπραγμονεῖτ' ἔτι καὶ τὸναντίον*. deinde p. 272, 4 male contracta haec sunt *τὴν ἱστορίαν ἀγνοεῖτε τὸ παλαιὸν ἠπειρῶ Ἰταλίᾳ Σικελίαν συνάπτουσαν*, neque enim decapitata illa memoria sed terrarum aliqui limes Italiam Siciliamque continebat. omnino distinguendum post *ἀγνοεῖτε*, consequentium autem mihi non in promptu est emendatio nisi violentior aut saltem operosior *τὸ πάλαι μὲν ἦν ἠπειρος Ἰταλίᾳ Σικελίαν συνάπτουσα, μεγάλων δὲ τῶν παρ' ἑκάτερα πελαγῶν . . . ἐπιδραμόντων ἢ μεθόριος ἐπεκλύσθη*. et nominativum *συνάπτουσα* M nobis testis optimus praestat.

ibidem p. 273, 7 ne in cottidianis quidem controversiis iudex iustus sententiam edet *πρὶν παρὰ τῶν ἀντιδίκων ἀκοῦσαι*. dum *παρά* lego, obstipui cumque ex M enotatum *περὶ* viderem, constitit mihi sententia prave iterasse librarium quae in superiore versiculo extat praepositionem (*περὶ βίον*). legendum *πρὶν τῶν ἀντιδίκων ἀκοῦσαι*.

cap. 27 p. 274, 13 quae in terris sunt plurima perverti aiunt aqua et igni, has vires ingruere alternatim post multa saecula, incendium si fiat, torrentem ignis aetherii desuper infusum orbi terrarum plagas ingentes involare, si diluvium, *ἅπασαν τὴν ὕδατος κατομβρίαν κατασύρει φύσιν* fontibus et fluviiis tumescentibus ripasque excurrentibus, undas effundi in planitiem, magna disendi stagna, ruptis terrae divortiiis vasta aequora pandi, ita interire igni montium et aqua fluminum ac litoris accolas. *κατασύρει* prorsus abhorret ab similitudine ceterorum omnium verborum quibus conversio rerum describitur ex obliquo. nec recte *κατακλυσμός* ipse detrudere aut deicere dicitur omnes pluvias aquas, neque causam video ambagum earum quibus *ἢ ὕδατος κατομβρία φύσις* appellatur pro pluvia. immo scribendum est *κατασύρειν* longaque aliter verba interpretanda: in diluvio omnem inundatio aquarum deturbat naturam. *κατομβρία* substantivum etiam si nullus firmaret auctor, tamen quoniam probe fictum est eademque qua *ἐπομβρία* ratione, hoc testimonio fretus graeco sermoni adrogare non dubitarem, nunc vero iam inlatum est lexicis e glossario in quo Labbaeus repperit *κατομβρία dilubium*. Iohannes Lydus cuius me EASophocles lexico deterioris graecitatis p. 654 commonefecit, in Nigidi tonitruilibus *ἐπομβρίαν* aliquotiens posuit, pluriens *κατομβρίαν*.

ibidem p. 275, 6 campi in paludes distribuuntur, exinde multis

confusis paludibus abeunt εἰς μέγεθος ἀχανοῦς πελάγους. sed M πελάγη habet ut et lenior mutatio fiat et cum adiectivi usu congruentior haec εἰς μεγέθους ἀχανοῦς πελάγη. porro versu 8 igni montanos interim narrant αὐτὸν οὐκ ἔχοντας, φησί, πυρὸς ἀμυντήριον ἄφθονον ὕδαρ. ubi Bernaysius p. 278 ignoti scriptoris dictum deprehendere sibi visus est, ego nihil sensi alienum quod esset ab ἱστορία φυσικῇ aut a trito sermone, et hexametro ut conveniat ἄφθονον ὕδαρ ad-versatur ἀμυντήριον. antehac volgatam erat οὐκ ἔχοντας φύσει non bene quidem, nam forte potius quam natura illis aqua deest, sed quod a vero proximum censeam esse. lego enim οὐκ ἔχοντας φυσικὸν πυρὸς ἀμυντήριον.

ibidem p. 275, 12 ubi plurima pars hominum pereat, ἐπιλιπεῖν ἔξ ἀνάγκης καὶ τὰς τέχνας. corrigendum esse ἐπιλείπειν cum praesens φθειρομένου ceteraque totius huius expositionis verba demonstrant tum ipsa argumentatio scriptoris eiusque finis. hoc vitio nullum frequentius, p. 232, 9 λειποτακτοῦσα at p. 243, 3 rectius λιποτακτεῖν editum est. finem facit haec sententia, ubi renascatur hominum genus, ἀρχεσθαι καὶ τὰς τέχνας πάλιν συνίστασθαι, οὐ τὸ πρῶτον γενομένης ἀλλὰ τῇ μειώσει τῶν ἐχόντων ὑποσπανοσθείσας. aoristus persuadet ut restituamus id quod simul sententiam apertius declaret οὐ τότε πρῶτον, praesertim cum in M sit οὔτε.

tenellum Alexandrini poetae carmen hic scriptor memoriae prodidit cap. 26 p. 272, 11. Αἴγειραν Βοῦράν τε καὶ ὑψηλὴν Ἑλικεῖαν, Τείγεσιν ἢ τόχ' ἔμελλε περὶ βροία μυρία φύσειν. color non indignus Callimacho si contuleris hymni I v. 20 μέλλεν δὲ μάλ' εὐνδρος καλέσθαι αἴνας, IV 134 et 215, al. imprudenter autem hinc scriptor conlegit tres in Peloponneso urbes a mari esse devoratas, poeta demersam unam significat Helicen, simul Buram periisse plerique narrant, Aegiran in eum numerum nemo rettulit, vide quae Nic. Heinsius ad Ovidi met. XV 293 et Spanhemius ad Callimachi IV 101 congesserunt.

Bonae mense Maio.

Franciscus Buecheler.